

ut Oculis eam conspiciere meis nunquam mihi fuisset concessum. Adveniens verò in sinu gaudebam, quod tam Clarissimum ac veteranum Amicum amplexari rursus concederetur. Et tum pristina illa amicitia renovatu admodum fuit facillima, quæ indies eò magis magisque succrevit, nec in hunc usque diem, ullo incommodo fuit sublata, nec interrupta. Imò etiam cum Anno MDCLXIX. circa finem, à Nobiliss. ac Amplissimo Regiæ Suedicæ Wismariensis Urbis Senatu ut Physicus vocarer, moxque Anno 1670. circa Paschale tempus munus hocce meum subirem, amicitiam hanc nostram, per utilissimum illud literarum commercium magis adhuc stabilivimus, ea, quæ in foro Medico occurrerant, quæque in Praxi usum suum suppeditare poterant, quam fidelissimè nobis invicem communicantes, non neglectis & reliquis amoris & amicitiae officiis mutuo præstandis, ad quæ vinculo planè sanctissimo, nos devinxeramus. Hinc cum Anno 1674. fama, mox & impleta, ubi vis personaret, Potentissimum Regem Daniæ CHRISTIANUM V. gloriosæ nunc memoriæ, urbem Wismariam obsidione velle cingere, Tu, honoratissime Dn. Collega, novum affectus tui in me radium emittebas, quam fidelissimè monens, vel ut urbe exirem, vel ut ad minimum Uxorem meam, una cum Liberis, Lubecam transvehi

cura-